Opuscula

INSCRIPTIONES PARENTALES PIIS MANIBVS,

Perillustris olim, Clarissimi, & Admodum Reverendi Domini,

D. M. ADALBERTI JOSEPHI DZIELSKI,

Philosophiæ Doctoris, interea Cursûs Vladislaviani Professoris, Collegæ Majoris Vocati, Ecclesiarum Collegiatarum Bobovięsis Custodis, SS. OO. Crac: Canonici &c.

DICATÆ.

Ac

In Ecclesia Collegiata S. ANNÆ Crac: Anniversariâ Inferiarum die

vivis præsentium Ordinum Academicorū amoribus & tumuli marmoribus.

Per

M. JOANNEM ŁOPUSZYNSKI, Philosophiæ Doctorem & Professorem.

Stylô mærentis pennæ, in memoriam Emeritissimi Viri

INCISÆ.

Anno Domini 1707. Die 1. Augusti.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.

D. O. M.

Ad tumulum hunc

Miraturus morare, quisquis es.

Mors

Laureas, fatalibus Cupressis,
Clarissimos, umbris sepulchralibus,
Doctissimos, vacuis calvariis
permiscet.
Quo differunt?
Specta Viator, ac suspira!
Morte nuper extinctus Doctor
M. ADALBERTVS IOSEPHVS

DZIELSKI,

In his cineribus gliscens edocet.

COLLEGA

Olim Doctorum, nunc vermium.

CVSTOS

In vita Argô circumspectior, post mortem sic
lumina claudens
Ut extra visionem Cæli spectare non liceat.
In multis omnia, in omnibus multa perbellè callens,
Omnibus innotuit, omnibus latet.
Bis in urna Clarissimus,
Et quòd talis, in vita virtutibus fulgeret;
Et quòd magis à lapide, gloriæ echo resonet.
Totus sine voce vocalis, funere celebris,
Magis pectoribus omnium, quàm feretrô ad tumulum gestatus est.
Plenus verò meritis, virtutibus, gravitate,
Laudes ab ingeniis, lacrymas ab oculis comitantium extorsit.

D. M. O.

D. O. M.

Siste gradum Viator.

M. ADALBERTVS IOSEPHVS
DZIELSKI,
Minoris Collegii Doctor & Professor
Clarissimus,
In medio Philosophico Cursu
Hîc vel stetit, vel cecidit.
Cecidit, si sepulchrum consideres;
Stetit, si æternitatem immobilem.
Optimus semper Philosophus,
Similitudini Supremi Motoris conformis,
A communi viventium motu amotus est.
Primum integrum tradidit Cursum, medium alterum;
In quo de æterna Quiete egit, cùm ageret animam.
In primo, Corruptionem Speculatione,
in altero, Praxi sua probavit.
Verùm felices hoc fato Cineres.
Novum alterius vitæ elementum Mortuo gignunt.
Quòd enim in minutum resolutus sit pulverem,
Vel contriti semper pectoris argumentum sit,
Vel ut hi pulveres in gloriæ culmen attollantur.
Quidni ex sepulchri altitudine assurgant?
Ab augmento enim nuncupatus Iosephus,
apud omnes expectationis maximæ,
Apud fata, brevissimæ,
Salvâ immortalitatis gloriâ,
Vitam mortalis amisit.

D. O. M.

Non ſola Auguſtus attollit horrea,
Etiam monumenta adimplet.
Et fatis enim hîc ſua ſunt meſſilegia.
Tumulos tamen Viris,
Non cumulis meritorum adaugent.
Hinc cave Viator, ne dixeris:
M. ADALBERTVS IOSEPHVS
DZIELSKI,
Sub hoc lapide integer latet.
Accreſcentis magnitudinem hæc Vrna non capit.
Nam corpus terræ, animam Cælo devovens
Elatus eſt ultra tumulum, quia in Cælum.
Ne ipſum corpus urnam excederet,
Debuit illud, mors priùs in cineres contriviſſe.
Tantum ergo acceſſit fatis ex deceſſu;
Vt nihil JOSEPHO detrimenti inferrent:
Niſi quòd, cùm ſatìs vixiſſet ad honorem,
Non ſatìs vixit Magnis honoribus.
In literis, Eruditiſſimus;
Officiô Vigilantiſſimus
Titulis, Clariſſimus:
COLLEGA, CUSTOS, CANONICUS.
Sed tanti honores pignus erant honorum.
In Eccleſia, Orbe Academico
Nihil voluit ultra æquitatem,
Non omnia voluit, quæ potuit,
Omnia quæ voluit, fecit.
Donec vitâ deficit
Ipſis Kalendis Auguſti.

D. O. M.

D. O. M.

Luge Viator ſi neſcis,

quos capit urna Cineres.

M. ADALBERTVS IOSEPHVS

DZIELSKI,

Hîc jacet.

Cecidiſſe illum crederes;

Si aliquid contra valerent fata.

Nec enim ſic eripuere ſpiritum, ut nocerent.

Nam longiſſimum illi ævum, ingenii fama fecit.

Id ſemper egit,

Vt meliore ſui duraret parte.

Compoſitis animi dotibus,

Reſolutionem Corporis à mortalitate vindicavit.

Spiritum Cælo efflavit?

Ampliùs Divinum Vatum ſpirat Entheum.

Primò à morte exemptus eſt, cùm è vivis.

Mori hujuſq; potuit, ampliùs non poterit.

Tranſcendit fata ſic urnæ abditus;

Vitavit, cùm incidit in ſepulchrum.

Poſitus in extremis tantùm,

Non in termino perennaturi Nominis.

Si vita humana Oratio eſt,

Naturaliter Epilogum finivit.

Per artem,

Exordium venturæ ad poſteros gloriæ inchoavit.

Vbi deſiit, incepit;

Si deſiiſſe potuit,

Die 1mâ. Auguſti, ſui Extremâ.

D. O. M.

Huc

Mortales, literati, Cives,
Zelo, eruditioni, meritis,
Pietatem ingenia mærorem.
M. ADALBERTVS IOSEPHVS
DZIELSKI,
Collega Major, Philoſophus in ſummo uocatus
Fuit, non eſt.
Poſtquam ſuis ad invidiam Orbis fungeretut Officiis,
Demum in hoc tumulo defunctus jacet.
Pro honore Divino zeloſiſſimus,
Omnis ſapientiæ ſtudioſiſſimus,
In rebus agendis exactiſſimus,
Sic in gerendis Muneribus facilis;
ut etiam Cælo daret animam.
Literas mores
Non docuit quin faceret, non fecit quin doceret.
Quodlibet dictum propriô probavit exemplô.
Nemo illum, quidpiam neglexiſſe, non tantùm
vidit, ſed etiam cogitavit.
Immaculatiſſimæ Conceptionis Beatiſſimæ V. M.
eo cum zelo Aſſertor,
Ut labem Mariæ audire, ſibi mortem illabi ſentiret.
Honorem hunc crederet ne magis an defenderet? neſcias.
Tantæ pietatis virtutem geminavit fide.
Singulis Sacrorum Codicum Libris liberam ab o-
mni labe probare inchoavit Mariam:
Imo quovis Capite pulchros illius inveſtigare greſſus.
Sed fatis præventus, (dubites) obiit ne vel abiit.

D. O. M.

D. O. M.

Oculi Lachrymis

Ora luctibus, pectora ſuſpiriis
Parentate mortuo.
Hoc è tumulo
Pupilla eruditorum capitum, Caput ingeniorum,
Cor literatorum,

M. ADALBERTVS IOSEPHVS

DZIELSKI,

Poſtquam ſatis operæ lucubrationibus impenderet;
Requiem implorat æternam.
Tantis enim accingi amabat laboribus,
Ut tunc niſi reſpirare videretur, cùm expiravit.
Ea alacritate, ut præveniri non poſſet,
Eo cum ſtudio, ut ſuperari non pateretur,
Omnia executus, ſingula abſolvit, nihil intermiſit.
Cum omnium plauſu
Lycea Phyloſophus, Exedras Prædicator,
Domum Collega, Eccleſias Prælatus
ornavit.
Nihil non dignum perennitatis fecit.
Victurus ergo inter Literatos immortalis,
Extra Muſarum Penates
Flagrantibus Syrii ardoribus, fatô obriguit.
Non tantùm in Domino,
Sed etiam cum Chriſto obdormiturus,
Sacro Caluariæ Monti proximus obiit.
Tandem Cracoviæ ſepultus.

D. O. M.

M. ADALBERTO IOSEPHO
DZIELSKI,
Phil: Doctori Collegæ Majori Vocato
Nuper mortuo terram levem precare Viator.
Qui nulli gravis, solos meritis onerauit honores.
Tantum gloriæ in singulis merebatur officiis,
Quantum universis sufficeret.
Honores ipsis addidit honoribus.
Maximis Viris intimus,
Vel eò sese omnium pectoribus insinuavit;
Quód magno polleret geniô ingeniô.
Quos Privatus in literis instruxit Professor,
Aliis debet Patria Infulas, alios præmiavit Curulibus.
Ipse pro Corona migravit ad Cælum,
Fatalibus Augusti feriis,
Ad æternam inspirando beatitudinem,
Feliciter exspiravit.



